



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

126. De ordinatione Bonifacij in Episcopum. Eius tra[n]snominatione:
remissione in Germaniam cum commendatitijs ad Carolum Martellum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

456 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
ferre, decentiori loco collocare, honorare. vide quan-
tum studium Ciuium Rhenensium in suo incola vt illa fi-
erent flagitantium & Præsulem exequentem.

D I S S E R T A T I O C X X V I.

De ordinatione Bonifacij in Episcopum,
Eius transnominatione : remissione
in Germaniam cum com-
mendatitijs ad C.
Martellum.

Gregorius eius nominis Pontifex secundus vbi
inaudiuit Winfridum in Germanica vinea stre-
nuè, fructuosè & Religiosè laborantē, vt in idem
opus eundem maiori auctoritate fulciret, per
litteras Romam euocatum Episcopum sine cer-
to titulo certaue sine sede cum ordinar, præiura tamen
exploratione doctrinæ eius iuxta morem veteris Ecclesiæ
qui etiamnum durat erga eos qui ad Episcopalem apicem
sunt prouehendi. Æquissimum enim est, vt qui esse de-
bent fidei Christianæ Magistri, Custodes & amplificato-
res, ijeam habent quam optimam & syncerissimam. Ne-
que enim lupinam feritatem habere debet Pastor : neque
discipulorum imperitiam ac ruditatem Doctor.

In ordinatione Pontifex ei & nomen mutauit, vt de-
inceps Bonifacius appellaretur qui antea Winfrid aut
Winfridus. De qua nominum immutatione supra disser-
tatione 67.

Consecratus autem est pridie Kalendarum Decem-
brium

brium in natali S. Andreæ Apostoli eodem mense (No-
 vembri) quo S. Willibrordus, licet non eodem die: Wil-
 librord. 22. in festo S. Cęcilię Virginis & Martyris: Win-
 fridus 30. in festo S. Andreæ Apostoli. Willibrordus fe-
 ria 4. Hebdomadę, vide Differ. 63. Winfridus Feria 3. quod
 probatur; consecratus est anno 723. eo autem anno litte-
 ra Dominicalis erat C, quem characterē semper tenet vi-
 gesimus octauus Nouembris; consequenter trigessimus
 Nouembris erat Feria 3. & simul pridie Kalendarum De-
 cembrium, cum Nouember triginta solum contineat
 dies.

Consecratus Bonifacius Apostolicę Diui Petri Cathe-
 drę, in qua Ecclesiarum omnium principatus est & au-
 thoritas, obedientiam solenni iureiurando iuxta recep-
 tum vsum spondet. Recitat illud Othlopus lib. 1. vitę S.
 Bonifacij cap. 19. hac forma:

*In nomine Domini Dei Salvatoris no-
 stri Iesu Christi, imperante Domino Leo-
 ne Magno Imperatore, anno VII. post Con-
 sulatum eius, sed & Constantini Magni
 Imperatoris eius filij anno IV. indictione VI.
 promitto ego Bonifacius Dei gratia Episco-
 pus, tibi B. Petre Apostolorum Princeps,
 vicarioque tuo B. Gregorio Papa & suc-
 cessoribus eius, per patrem & filium & Spi-
 ritum*

M m m

ritum

ritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem,
 & hoc sacratissimum Corpus tuum, me om-
 nem fidem & puritatem sancta fidei Catho-
 lica exhibere, & in unitate eiusdem fidei,
 Deo operante, persistere, in quo omnis Chri-
 stianorum salus esse sine dubio comprobatur.
 Nullo modo me contra unitatem commu-
 nionis & uniuersalis Ecclesie, suadente
 quopiam, consentire, sed, ut dixi, fidem
 & puritatem meam atque concursum, tibi
 & utilitatibus tua Ecclesie, cui à Domi-
 no Deo potestas ligandi soluendiq; data est,
 & prædicto vicario tuo atque successoribus
 eius per omnia exhibere.

Sed & si cognouero Antistites contra
 instituta antiqua Sanctorum Patrum con-
 uersari, cum eis nullam habere communi-
 onem aut coniunctionem; sed magis, si uo-
 buero prohibere, prohibeam; sin minus hoc
 fideliter

fideliter statim Domino meo Apostolico renuntiabo quod, si quod absit, contra huius professionis meae seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione, tentauero, reus inueniar in aeterno iudicio, vltionem Anania, & Saphira incurram, qui vobis etiam de rebus proprijs fraudem facere praesumpsit. Hoc autem indiculum Sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi, atque ponens supra sacratissimum Corpus S. Petri, ita ut praescriptum, Deo teste & iudice, feci Sacramentum, quod & conseruare promitto.

Meritò hoc iuramentum exigit ordinatque Ecclesia. Si enim olim militaturi teste Vegetio lib. 2. de re militari cap. 5. iurabant omnia se strenuè facturos quæ præceperit Imperator: nunquã deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romanâ Rep. Ac postmodum ij qui Principum militari ordini (erat is ordo honoratus, quẽ admodum nunc ordo aurei velleris, ordo Sancti spiritus &c.) inseri appetebant, iurare debebant, se Inprimis cum

deuota recordatione officium Dominicæ passionis diurnatim audituros; pro fide Catholica audacter corpus exposituros; Sanctam Ecclesiam, eiusque ministros, à quibuscumque grassatoribus liberaturos; viduas, pupillos & orphanos in eorum necessitate protecturos &c. bono iure à spiritualis ordinis Principibus & militibus hoc postulat statuitque Ecclesia.

Notandum verò verba: hæc tibi B. Petre Apostolorum Princeps &c. & per hoc sacratissimum Corpus tuum &c.

Indicant ea S. Bonifacium in Vaticano templo ad S. Petri reliquias insigne hoc promissum religiosumque ac Episcopale iusurandum iurasse. Quod confirmat Onuphrius lib. de 7. vrbis Ecclesijs: Episcopi (inquit) & Metropolitanis obedientiam S. Romanæ Ecclesiæ super altare S. Petri iurabant.

Ecclesiæ Catholice Romanæ deinceps varijsque presidijs ad negotia sua exequenda instructus in Germaniam reuertitur Bonifacius, Carolo Martello Principi Germanorum & Francorum Dominatori per litteras à Pontifice commendatus; quarum tenor est:

Domine

Domino glorioso filio Karolo Duci
Gregorius Papa.

Comperientes te, in Christo dilectissime, religiosa mentis affectum gerere, in multis oportunitatibus, debito salutis pramisso, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum à nobis Episcopum consecratum, atque institutionibus sanctæ sedis Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ generali sollicitudine informatū, prædicandū ad plebibus Germania gentis, ac diuersis in orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantia obscuritatibus præpeditis, necessario destinare. Pro quibus eum gloriosa beneuolentiæ tuæ omni-

m M M 3

omni-

omnimodo commendamus, vt in omnibus necessitatibus adiuuetis, & contra quoslibet aduersarios, quibus in Domino praeualetis, instantissime defendatis; certissime retinentes, vos exhibere Deo, quaecumque huic promptissimo impenderitis fauore: qui SS. Apostolis suis, ad lucem gentium destinatis, suscipientibus eos se suscipiendum praedixit, quorum institutionibus per nos informatus praemissus Antistes in sorte praedicationis procedit.

Nota hic quanta qualisque communicatio fuerit inter Pontificem & Principes nostros Germaniarum tam superiorum, quam inferiorum dominatores qui Episcopos & Apostolicos viros à sede Romana emissos summo fauore recipere, promouere, prosequi, vt patet in Pipino circa Willibrord. Wironem cum socijs, Hubertum; in Carolo Martello circa Bonifacium cuius studium quam impense curauerit & prouexerit, liquebit ex effectibus suo loco recensendis; longe alio spiritu quam multi nostrae Germaniae Principes & Dominatores qui ab Apostolica sede datos Episcopos, Religiosos, adherentes, eijciunt, bonis omnibus spoliant.

Nota secundò, insignem laudem attribui à Pontifice Carolo illis verbis: Comperientes te religiosæ mentis affectum

fectum gerere in multis oportunitatibus &c. & contra quoslibet aduersarios quibus in Domino preualetis &c. Pluribus alijs comendatitijs ad Germaniæ Episcopos, reliquum Clerum; ad Duces, Comites, Populum, munus recessit Bonifacius, quas legere est apud Othlonum lib. primo cap. 22. 23. 24. 5. 6.

Nemo paret dissertationem iam positam esse meo proposito extraneam, quia differui partim quod Bonifacius sit S. Willibrordi partus utpote discipulus: partim ut cernendo quod in Bonifacio, simul cernas quid in Willib. sit Romæ factum: nam non dubito simile iuramentum à Willibrordo esse præstitum & quin similibus litteris sit Pipino commendatus daturque aliquatenus colligi ex V. Beda & Aleuino. Multæ Chartæ, multa particularia S. Willibrordi interierunt per hostiles grassationes Danorum & Nortmannorum S. V. Willibrordi mortem mox subsequentes.

DISSERTATIO CXXVII

Diploma quo Carolus Martellus plurima

S. Willibrordo donat. Idem

explicatur.

Carolus Martellus heroicus Princeps animaduertens deuotionem flagrantemque charitatem Willibrordi in proximos, simul quantum virtutibus obstet res angusta domi, gnarus istius scripturæ, Date & dabitur vobis, cum nobis muneribus cumulat, tum ad eius institutum promouendum,